LECTIONUM TULLIANARUM SPECIMEN.

QUO
EXAMINIS PUBLICI
IN
GYMNASIO GEDANENSI
SOLENNIA
IN D. II. APRIL.
INDICIT

Dr. J. CH. HERBST,
PROFESSOR.

GEDANI,
TYPIS WEDELIANIS
MDCCCXXX.

antecedente fieri, alia ratio est. Sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat assensionem, vide ne idem dicant.

Diligenter, ut solet, disserit de hoc loco Bremius, cujus haec verba sunt:

«Ita vulgo legitur sensu prorsus absurdo. Quomodo enim Cicero «dicere potest, eos, qui assensiones non sine viso antecedente fieri «fateantur, aliud affirmare quam Chrysippum, quum postea eadem «illos revera dicere contendat? Adde quod huic absurditati altera «accedit haud minor, cum Cicero sic pergat: sed si concedunt «anteire visa, enuntiatione idem prorsus significante, quam tamen «contrariam illi esse oporteat. Haec videns Lambinus, probante Da- «visio *) et in textum recipiente particulam negativam delendam cen- «suit. At ne illud quidem verum esse poterit. Verbum enim fa- «teantur nullo modo aptum est. Hoc enim illis non fatendum, «sed affirmandum est. Nec usquam ista significatione adhibitum illud «verbum invenies. — Difficillimum est aliquid de hoc loco proferre, «quod et veritatis certa habeat indicia, nec longius a vulgata scriptura «recedat. Quid videatur, dicam. Verba, quae his opposita sunt, viam «nobis ad veram lectionem monstrare debent. Si illi, qui concedunt «assensionibus visa anteire, idem dicunt re ipsa, quod Chrysippus

*) „Vulgo, inquit Davisius, immissa particula negante, dant eas non sine viso „antecedente fieri, et ab ea quidem lectione stant nostri codices. Hoc tamen „non impedivit, quo minus istam negationem cum Lambino deleverimus, si quidem „mens auctoris id omnino flagitat. Alioquin enim haec sententia ab eorum opi- „nione non erit diversa, qui concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensio- „nes; adeoque deliravit Tullius et ratiocinandi fuit imperitus, quod de viro om- „nium saeculorum maximo nefas est vel suspicari.“

«dicit, eorum non nisi alia ratio esse potest, qui hoc non conce-
«dunt. Solus igitur iste sensus erit restituendus, quem habebis, si
«ita legas: non fateantur, eas non nisi viso antecedente
«fieri.*) Tum sensus is erit, qui requiritur: Aliam esse eorum
«rationem, qui negantes fato assensiones fieri haud quaquam eas
«non sine viso antecedente fieri posse fateantur.» — Atque haec quidem Bremius. —

Moser autem, qui una cum libris de Divinatione hunc de Fato, multis instructum annotationibus, edidit, fatetur ille quidem, se Bremii sententiam, si vel unus liber accederet, amplexurum fuisse; sed in omnium librorum consensu non ausus quidquam violentius, uncis modo negandi particulam inclusit, idemque fecit Orellius, quamquam Bremianam rationem et ipse non improbat.

Videmus igitur, viros doctos, quos nominavi, omnes in eo consentire, ut nisi emendatum non posse intelligi locum nostrum existiment. — At illi quidem, qui non deleri volunt, in quas delabantur difficultates, ne alia ipse afferam, vel ex iis, quae de fatendi verbo disputantur a Bremio, perspici licet. Nec vero defuturos spero, qui, si me duce totum hunc locum perlustrare voluerint, ne Bremii quidem sententiam admodum probabilem esse arbitrentur.

Nam primum quaeri potest, qui tandem sint illi, qui non fateantur, assensiones non sine viso**) antecedente fieri? Veterum sane philo-

---

*) In curis posterioribus, ut ait Orellius, voluit idem ille doctissimus vir: „non fateantur, eas non sine viso antecedente fieri“ eadem plane sententia.

**) Hoc pro φαντασία verbum satis hesterno sermone trivimus. Cic. Acad. 2, 6. — Visa animi, quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt neque arbitraria, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. — Gell. Noct. Attic. 19, 1. —

sophorum nemo unquam tale quidquam ausus est dicere, quippe qui assensionem*) nulla vi excitatam non posse fieri praeclare intelligerent. —

Has φαντασίας quomodo Stoici definiant, cognosci maxime potest e Sext. Empirico adv. Mathem. 7, 227. seqq.

Φαντασία ἐϛὶ τύπωσις ἐν ψυχῇ (i. e. impressio in anima, vel quaedam quasi impulsio oblata extrinsecus. Cic. Acad. 1, 11.) περὶ ἧς καὶ εὐθὺς διέϛησαν. Κλεάνθης μὲν γὰρ ἤκουσε τὴν τύπωσιν κατὰ εἰσοχήν τε καὶ ἐξοχὴν, ὥσπερ καὶ διὰ τῶν δακτυλίων γινομένην τοῦ κηροῦ τύπωσιν.

Χρύσιππος δὲ ἄτοπον ἡγεῖτο τὸ τοιοῦτον. — — —. Αὐτὸς οὖν τὴν τύπωσιν εἰρῆσθαι ὑπὸ τοῦ Ζήνωνος ὑπενόει αντὶ τῆς ἑτεροιώσεως, ὥϛε εἶναι τοιοῦτον τὸν λόγον· φαντασία ἐϛὶν ἑτεροίωσις ψυχῆς, μηκέτι (ut in Cleanthis definitione) ἀτόπου ὄντος, τὸ αὐτὸ σῶμα ὑφ᾽ ἓν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, πολλῶν περὶ ἡμᾶς συνιϛαμένων φαντασιῶν, παμπληθεῖς ἀναδέχεσθαι ἑτεροιώσεις. — Ἄλλοι δὲ (sc. φιλόσοφοι) οὐδὲ τὸν κατὰ διόρθωσιν ἐκείνου ἐξενεχθέντα ὅρον ὀρθῶς ἔχειν φασίν. — Πρὸς οὓς ἀπαντῶντες οἱ ἀπὸ τῆς Στωᾶς συνεμφαίνεσθαί φασι τῇ τυπώσει τῆς ψυχῆς, τὸ ὡς ἂν ἐν ψυχῇ, ὥϛε εἶναι τὸ πλῆρες τοιοῦτον· φαντασία ἐϛὶ τύπωσις ἐν ψυχῇ ὡς ἂν ἐν ψυχῇ (vel, ut ipsi definiunt pressius,) ἐν ἡγεμονικῷ i. e. in ea animi parte, quae tenet principatum. cfr. Cic. Nat. Deor. 2, 11.

Sed ne sic quidem aliorum reprehensionem effugere potuerunt. Vide, si placet, quae quum deinceps, tum in primis 7, 372. seqq. contra dicuntur. cfr. Plutarch. Placit. Philos. 4, 12. Diog. Laert. 7, 50.

*) i. e. approbationem, quam Graeci συγκατάθεσιν vocant. Cic. Acad. 2, 12. — Zeno ad haec, quae visa sunt et quasi accepta sensibus, assensionem adjungit animorum, quam esse vult in nobis positam et voluntariam. Acad. 1, 11. —

Ὁ περὶ συγκαταθέσεως λόγος οὐκ ἄνευ φαντασίας συνίϛαται. Προηγεῖται γὰρ ἡ φαντασία, εἶθ᾽ ἡ διάνοια. Diog. Laert. 7, 49.

Μὴ οὔσης — φαντασίας οὐδὲ συγκατάθεσίς τις αὐτῆς γενήσεται. Sext. Emp. adv. Math. 11, 182.

Τὸ μὲν φαντασιωθῆναι ἀβούλητον ἦν καὶ οὐκ ἐπὶ τῷ πάσχοντι ἔκειτο — —

At illud ne urgeatur, quod Tullius noster ait, nihil tam absurdum dici posse, quod non dicatur ab aliquo philosophorum: quidnam afferri potest, cur fuisse, qui sine visis antecedentibus fieri assensiones vellent, ne fingere quidem licuerit? — Non repugno; sed tamen audire velim, quomodo illa: fateantur, est, cum faterentur, esset latinitatis ratio poscat, satis defendi queant.

Deinde haud facile dixerit quisquam, quid verba: Haec cum ita sint a Chrysippo explicata, hic sibi velint. Nam qui fato assensiones liberant, easque vel sine viso antecedente fieri dicunt, ii profecto a Chrysippo, qui nil nisi fato et causis antegressis fieri vult, tam aperte dissentiunt, ut id qui non sua sponte intelligat, vix eum esse sanae mentis existimem. — Nec quisquam persuadere sibi poterit, in explicandis iis, quae antegressa sunt, id egisse Tullium, ut diversam esse rationem illorum a Chrysippi sententia demonstraret.

Denique cum ea ratio, quam Bremius commendat, in conjectura modo nitatur, ad quam confugere nisi urgente necessitate non licet: quid prius facere nos oportebit, quam ut diligenter etiam atque etiam quaeramus, quam recte V. Cl. vulgatam scripturam absurdam prorsus ac minime ferendam dicat. Atque hoc si forte contingat, ut, quaecunque ejus modi facta fuerit mutatio, totius loci sententiam corrumpi ac plane everti necesse esse, apte ad persuadendum doceri possit, tum de ista conjectura quid statuendum sit, nihil opus est dicere. Et de Bremii quidem sententia hactenus.

τὸ δὲ συγκαταθέσθαι τούτῳ τῷ κινήματι ἔκειτο ἐπί τῷ παραδεχομένῳ τήν φαντασίαν. Sext. Emp. adv. Math. 8, 397.

Perspicuum jam est, ita fieri assensionem, si mens oblatum visum approbet; quod si nullum antecesserit, qui poterit fieri assensio?

Sequitur, ut, mihi quid videatur de hoc loco, aperiam; quod quo commodius facere subtiliusque possim, prius quam ad rem ipsam aggrediar, non alienum esse puto, si, quae sit sententiarum, quae hic explicantur, vis et nexus, paucis exponam.

Cum igitur duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui, quod omnia fato fierent, assensiones vi effici et necessitate dicerent; altera eorum, qui animi motus vellent esse voluntarios, fatoque assensionibus adhibito, necessitatem negarent ab his posse removeri: Chrysippus, qui et necessitatem improbaret, et nihil vellet sine praepositis causis evenire, novum quiddam excogitavit, ut et necessitatem effugeret et retineret fatum. Distinguit enim causarum genera, ut earum aliae sint perfectae et principales, aliae adjuvantes et proximae, neque, cum omnia fato fieri dicit causis antecedentibus, hoc intelligi vult, causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus et proximis; quae cum antegressae sint, in nostra tamen esse potestate, ut illa aliter eveniant, quorum causae fuerint. Ita etiam assensiones, quarum proximae causae in visis antecedentibus positae sint, in nostra esse potestate; et quoniam, quaecunque causis antecedentibus, sive perfectis et necessariis, sive proximis et adjuvantibus eveniant, fato omnia fieri fatendum sit, consequens esse, ut ne assensiones quidem sine ullo fato fiant.

Tale igitur Chrysippus hic introducit fatum, cui non adjuncta sit necessitas; quod posse fatum dici alteri negant. Ex quo facile est intellectu, illos, qui confitentes non fieri assensiones sine viso antecedente, fato tamen eas fieri negant, re a Chrysippo non dissidere. Utrique enim in eo consentiunt, ut, quum omnibus, quaecunque fiant, causam necesse sit antecedere, non fieri assensiones dicant nisi commotas viso, ita tamen, ut visum hoc objectum non necessario moveat assensionem. — Quae au-

tem causis antecedentibus ita eveniant, ut in nostra tamen sint potestate, ab his ii, qui a Chrysippo dissentiunt, fatum, quod afferat omnino vim necessitatis, abesse volunt. Omnem igitur contentionem inter illos et Chrysippum in verbi controversia esse positam, quis est, quin videat?

Quae res cum ita se habeat, ego quidem locum nostrum arbitror intelligi nullo modo posse, nisi sic accipias:

Haec cum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen, eas non sine viso antecedente fieri, vide, quamquam eorum alia ratio est, ne idem tamen dicant.

At quo tandem modo Cicero dicere potest, eorum, qui idem affirmant, quod Chrysippus, aliam esse rationem? —

Eodem nimirum, quo paullo infra eosdem, quos modo concinere cum Chrysippo ostenderat, dissentire ab eo dicit. Nec tamen ideo deliravit Tullius et ratiocinandi fuit imperitus. Nam qui negant fato assensiones fieri, nemo sane dubitabit, quin ab eo, qui fato eas fieri defendit, dissentiant. Iidemque cum non sine viso antecedente assensiones fieri, et tamen, quia hoc visum non necessario moveat assensionem, in nostra potestate esse velint, consentiant, credo, necesse est cum eo, qui illas non sine causis antecedentibus et iis quidem, quia visa non necessaria sint ad assentiendum*), adjuvantibus et proximis fieri dicit?**) Ita fit, ut Tullius, prout aut verba spectat aut rem, modo idem sentire illos, modo dissidere dicat.***) Verba autem alia ratio est non ad si illi fateantur eas non sine viso antecedente fieri, sed potius ad prius membrum: si illi negant fato fieri referenda esse patet.

*) i. e. non necessario moveant assensionem.

**) vid. supra pag. 6.

***) Eadem ratione Stoici modo concinere cum Peripateticis, modo discrepare dicuntur. cfr. Fin. Bon. et Mal. 3, 3. 3, 13. 4, 1. 4, 22. 4, 26. 5, 25.

At enim, quam illud absurdum est, quod Cic. sic. pergit: sed si concedunt anteire visa, enuntiatione idem prorsus significante, quam tamen contrariam illi esse oporteat.

Miror, virum clarissimum neque illa: quod proxima et continens causa non moveat assensionem, attendisse satis, neque horum: Sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, ordinem mutatum; hoc qui non neglexerit, is profecto nihil inveniet in his verbis insulsitatis. Intelliget enim, posterius quidem membrum iterari ob verba: quod proxima &c., prius autem propterea, quod omnia posita sunt in praecursione visorum. Itaque haec sic expediet: Sed vide, ne idem tamen dicant, si, concedentes anteire visa (ergo concinentes cum Chrysippo de praecursione visorum) ob hanc causam fato fieri assensiones negant, quod proxima et continens causa non moveat assensionem (ergo verbis tantum dissident. Vid. quae de hac verbi controversia supra dixi).

Jam vero, ne ulla de hoc loco dubitatio relinquatur, verba: Haec cum ita sint a Chrysippo explicata, sic mihi exponenda video, ut non supervacanea atque molesta, sed necessaria potius esse appareat. Etenim omnes eos, qui aut negationem delendam censent, aut alterum non interponunt, magnopere laborare necesse esse in istis verbis explicandis, supra dictum est. Nam quum in hac disputatione Tullius id spectet, ut utrosque, patefacta atque explicata sententia, ad eundem exitum venire ostendat: quis est, qui post ista verba alia ratio est, ac non potius non alia ratio est, exspectet. Hinc intelligitur, quam ea si cum vide ne idem dicant jungenda statuas, adeo non inania sint atque inepta, ut, si abessent, desiderares. — At vero quam id durum est, quam plane inauditum! — Non credo; tu modo hoc totum, puncto ante sed

sublato, una comprehensione complectere, ut verba: alia ratio est, sententiam efficiant, quam dicunt, concessivam:

Haec — explicata, si illi — alia (quidem) ratio ist; sed, si concedunt —, vide ne idem dicant, pro: quamquam alia ratio est, tamen, si concedunt — vide ne idem dicant.

Quem loquendi modum quum nondum satis animadversum videam, haud sane alienum erit, exempla aliquot proferre graviora; quibus explanatis neminem, cujus quidem harum rerum judicium sit, de veritate interpretationis meae dubitaturum spero. Ac primum quidem exemplum ex hoc ipso libro sumere licet: nam c. 5. haec leguntur:

Haec (sc. dissimilitudines, quae in naturis hominum sint, ex differentibus causis esse factas) disserens, qua de re agatur, et in quo causa consistat, non videt. Non enim, si alii ad alia propensiores sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causae naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. *Nunc vero* fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse, is non videt, quae quamque rem res consequatur.

«Meum quidem sensum, inquit Brem., admodum offendunt particulae nunc vero, quarum usus est in Cicerone tum, cum antecedenti contrarium aliquid proponit. Si quis eas hoc loco negligentius positas esse putet, non pugno. Malim tamen legere *Nos vero.*»

Non vidit V. Cl., explicanda verba esse hoc modo:

Nunc vero fatemur quidem*) — non esse id in nobis; qui autem &c.

---

*) Nos quoque in familiari sermone particulam *zwar* omittimus nonnunquam, velut: *Er macht gute Fortschritte; denn er ist nicht eben fleifsig, aber sehr talentvoll.*

pro: Nunc vero quamquam fatemur — non esse id in nobis; is tamen, qui ex eo cogi putat — non videt, quae quamque rem res consequatur. Ex quo intelligitur, haec, quae arctissime inter se cohaerent, quam vitiose distinguantur puncto.*)

Eandem loquendi rationem invenio Nat. Deor. 1, 31:

In hac ita exposita sententia**) sunt, qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse consulto: de homine minime vafro male existimant. Dubium est enim, utrum***) aliquid dicat iste beatum et immortale, an, si quod sit, id esse immortale (?). *Non animadvertunt hic eum ambigue locutum esse,* sed multis aliis locis et illum et Metrodorum tam aperte, quam paullo ante te:

---

*) Non plane dissimilis locus est, qui Nat. Deor. 2, 38. reperitur:
An, cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis. Quum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium: *dubitamus*, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellente divinaque ratione? —

Punctum post rationis nunc video sublatum a nonnullis; nec sane injuria, quoniam illud an non tam ad non dubitamus quam ad posterius dubitamus referri perspicuum est.

**) Prima videlicet ex brevibus illis sententiis, quae κύριαι δόξαι appellantur: τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει, quam Tullius sic interpretatur: quod beatum et immortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium. Diog. Laerrt. 10, 139.

***) Cum enim dicit: *Das Selige und Unvergängliche macht weder sich selbst, noch einem andern zu schaffen*, vel *jenes Selige und Unvergängliche, (dessen Dasein nicht bezweifelt wird)*, intelligi potest, vel *was selig und unvergänglich ist. i. e. wenn etwas*

Posteriorem partem hujus loci Meyer ita vertit:

Sie bemerken nicht, dafs er hier zweideutig gesprochen, dagegen an vielen andern Stellen er und Metrodor so deutlich, wie du vorhin.

Quid? non animadvertunt, hic Epicurum ambigue locutum esse? Hoc quidem si vellet Cotta, secum ipse pugnaret. Nimirum ob hoc ipsum eos reprehendit, quod consulto illum locutum ambigue esse existiment. Nam cum multis aliis locis esse deos et Epicurus et Metrodorus doceant aperte, intelligi oportere, inscitia*) plane loquendi, non consulto factum esse, ut prima illa sententia ambigue sit ab eo proposita. Hoc ita cum sit, verba: non animadvertunt statuendum est cum vv. multis aliis locis et illum et Metrodorum &c. cohaerere, ut haec sententia sit: Hoc quidem loco Epicurus ambigue locutus est; sed non animadvertunt, multis &c. Debebat ergo Meyer locum ita interpretari:

Sie bemerken nicht, dafs, wenn er auch hier zweideutig geredet hat, doch an vielen &c. quoniam hoc loquendi genus, quod possit apud ipsos Romanos videri negligentius, a nostra certe consuetudine nimis longe recedit.

Nemini autem interpretum offensioni fuisse talem locum, hoc etiam mirabilius est, quod de aliis, quorum facilis explicatio videtur, valde dubitatum esse reperio. Ex hoc genere ille est, quem legimus Nat. Deor. 1, 9.

---

selig und unvergänglich ist. Dubium est igitur, utrum dicat: *dafs es ein Seliges und Unvergängliches gebe*, an: *wenn es ein solches gebe* (si quod sit). Ex quo etiam illud apparet, verba: id esse immortale, quae uncis inclusit Orellius, tam esse ab hoc loco aliena, ut ego sine ulla dubitatione insulsum istud imprudentis alicujus hominis supplementum ex ordine verborum ejiciendum esse censeam.

*) Vide, ne, si ego non intelligam, quid Epicurus loquatur, sit aliqua culpa ejus, qui ita loquatur, ut non intelligatur. Fin. 2, 5.

Hoc tamen malignius dictum putandum est. Vid. Fin. 1, 5. ubi haec sunt: Oratio me istius philosophi non offendit. Nam et complectitur verbis, quod vult, et dicit plane, quod intelligam.

Omnes stulti sunt sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt; miserius enim stultitia quid possumus dicere? Deinde, quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia.

Haec facile, quod etiam alii docuerunt, sic explicueris: ita multa sunt incommoda in vita, ut, quum sapientes ea commodorum compensatione leniant, stulti tamen nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia.

Hic locus quantopere vexatus sit a plerisque, dici vix potest; quamquam post conjunctionem ut*), quum haec eventum indicat, usitatior illa ratio est, quam ut ei, qui latinam consuetudinem animadvertere soleat diligentius, dubitationem afferre possit.

Jam non verendum mihi puto, ne temeritatis me arguat quisquam, si locum vertam hoc modo:

Wenn nun jene, welche läugnen, dafs die Zustimmungen durch das Fatum geschehen, doch zugeben, dafs dieselben nicht ohne eine vorhergehende Vorstellung geschehen, so ist diefs (zwar, wenn man auf die Worte sieht) eine andere Ansicht; indefs wenn sie (die Hauptsache) einräumen, dafs Vorstellungen vorhergehen, und (nur defswegen) läugnen, dafs die Zustimmungen durch das Fatum geschehen, weil jene nächste, veranlassende Ursache nicht nothwendig die Zustimmung bewirke, so sieh', ob sie nicht, nach der (oben) entwickelten Ansicht, (im Grunde) dasselbe behaupten.

---

*) Eodem loquendi genere utuntur Graeci interdum post ὥϛε, ut Xenoph. Mem. Socr. 2, 7, 11: Ἀλλὰ νὴ τοὺς θεοὺς, ἔφη, ὁ Ἀρίϛαρχος, οὕτω μοι δοκεῖς καλῶς λέγειν, ὦ Σώκρατες, ὥϛε πρόσθεν μὲν οὐ προσιέμην δανείσασθαι, εἰδὼς ὅτι, ἀναλώσας ὅ τι ἂν λάβω, οὐχ ἕξω ἀποδοῦναι, νῦν δέ μοι δοκῶ εἰς ἔργων ἀφορμὴν ὑπομένειν αὐτὸ ποιῆσαι. Vide, si placet, quae ad hunc locum Aug. Herbst, frater meus, annotavit.

Haec cum ita sint a me explicata, si illi, qui negant locum nostrum integrum esse, fateantur tamen, eum sine ullo depravationis vestigio in omnibus libris eodem modo legi, alia ratio est; sed si concedunt, non apparere depravationis vestigia, nec tamen integrum esse locum, quod nulla idonea sententia elici inde queat, jure sperare posse videor, fore, ut mecum consentiant.

Absoluta jam et perfecta hac disputatione, cum reliquum esse videam spatii aliquantum, veniat in medium etiam alius locus, non admodum difficilis ille quidem ad illustrandum, sed tamen ita tractatus ab hominibus eruditis, ut, quantum quidem in ipsis est, intelligi nullo pacto possit. Est autem e Lib. V. de Fin. Bon. et Mal. c. 7., ubi in nuper editis libris haec leguntur:

Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris: alii censent primum ascitum *non dolere,* et primum declinatum dolorem. Ab his *alii, quae* prima secundum naturam nominant, proficiscuntur: in quibus numerant incolumitatem, conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, *doloris vacuitatem,* vires, pulchritudinem, cetera generis ejusdem.

De quo quidem loco is, qui optime meruisse existimatur de his libris, Aug. Goerenz, ita exponit:

«Haec sine causa a Lamb. aliisque tentantur. Ab his refertur ad «primum ascitum et declinatum; et v. alii, hi quasi secundarii asci«tus, qui sequuntur, intelliguntur. Quae autem ex regula pro «quos ponitur, cum in primis secundum naturam non tam

« verba quam res spectetur. Neque praeferendum est, quod Crat. « aliique quidam edd. vett. ordine mutato quae alii referunt: « nam πρῶτα κατὰ φύσιν, πρῶτα φύσεως etc. philosophis Graecis omni- « bus dicuntur. »

Ad explicandum illum locum cum plana via et aperta liceret aggredi, mirum sane videri debet, cur maluerit V. Cl. correpere in dumeta. Schuetzium quidem et Orellium*), Goerenzii temere secutos auctoritatem, aberrasse eodem video; qui vero voluerint suo uti judicio, rerumque earum, quae his libris explicantur, vel mediocrem sibi comparaverint notitiam, facile, opinor, perspexerint, quam longe a vero ista ratio abhorreat.

Ac primum quidem quis est, qui, licet omnes omnium veterum scriptorum libros pervolutaverit, horum quasi secundariorum ascituum ullum usquam deprehenderit vestigium? Hoc igitur tam novum tamque inauditum cum a se sumserit V. Cl., tamdiu certe erit dubitandum, donec rationibus ille docuerit idoneis, posse a non dolendo cum alios ascitus, tum etiam doloris vacuitatem proficisci. Nam quod consequentem hanc esse dicit a non dolendo, quem sibi hoc daturum putat?**)

---

*) Orellio arridet etiam absurda nescio cujus conjectura, illa pro alii, qua horum sententia verborum perit omnino.

*) Positum est a nostris in his rebus, quae secundum naturam essent, non dolere. Fin. 5, 25.

Hinc etiam illud intelligi debet, quam levibus adductus argumentis G. in eo, quem tractamus, loco, non dolere pro doloris vacuitatem ediderit. Disputat enim hoc modo:

„Ita ex cod. Ursini et P. Marso edendum putavimus, cum vulgo pro non do- „lere, doloris vacuitatem scribatur. Vulgatae autem verba an ex ullo scripto „hac serie profecta sint, valde dubium est. Nam in pluribus P. Manutii, 4 Gru-

Atque id ipse videtur sensisse, cum addat, quod nisi est, cum Ern. haec verba jure tollentur. Quasi vero haec nequeant ullo modo explicari, et non ipsorum culpa contingat, ut inepta videantur. An suo quisque jure tollet, quod ipse non intelligat? Assentiuntur quidem Ernesto Sch. quoque et Orell.; sed cum in multis aliis locis*) doloris vacuitas ponatur in iis rebus, quae primae secundum naturam dicuntur, si illi in hoc uno loco v. dol. vac. deleri volunt, quam sibi conveniant, ipsi viderint.

Deinde, quoniam dolorem natura aspernatur, qui potest ad alii intelligi ascitus? Mihi quidem delirare videretur, qui ascitum diceret do-

---

„terianis, 5 Oxoniensibus, (in Gedanensi), multis vett. edd. dol. vac. plane „desiderantur, cum eadem in uno Pal. nostrisque omnibus ante alii censent „collocentur. Debet aliquid offendisse librarios; nec dubii sumus, quin id sit in „Graeco infinitivo quaerendum, in quo toties alibi haerent. Noluit auctor v. indo„lentia uti, quam cum excusatione posuerat supra II. 3, 11. Saepe vero idem sic „non dolere, nihil dolere. cfr. ibid. §. 18. 19. et infra §. 19. de iisdem tribus, „de voluptate, de non dolendo et de primis secundum naturam, bis mentio „injicitur. Dubitamus etiam, an recte doloris vacuitas dici primum ascitum pos„sit: rectius certe, ut consequens ab non dolere, paucis post in primis secundum „naturam numeratur. Quod nisi est, cum Ern. eadem haec vv. in seqq. jure „tollentur, cum non simul in primo ascito et in primis secundum naturam poni „possit: Quae quidem reputantes, non dolere edidimus.“

His quidem rationibus haud facile quisquam adducetur, ut non dolere vulgatae scripturae doloris vacuitatem praeferendum existimet. Promiscue enim haec et saepe dicuntur; nec apparet, cur hic non dolere magis offenderit librarios, quam in aliis locis. Videntur autem illa, sive non dolere, sive doloris vacuitatem, malueris, jam in antiquissimis libris per errorem omissa fuisse, ut, cum, quae desiderarentur, alii supplerent, religiose alii tuerentur vulgata, fieri non potuerit, quin magna in libros conferretur scripturae discrepantia.

*) Fin. 3, 15. 4, 8. 4, 11. 5, 17.

lorem. A declinatu autem ascitum proficisci, nemo erit, qui fateatur. Itaque miretur fortasse aliquis, quid sit, quod G. ab his non ad primum appetitum et primum ascitum referri malit, ut efficiatur haec sententia: A voluptate et a non dolendo, quae prima appetuntur, alii proficiscuntur quasi secundarii ascitus.

Sed ne id quidem verum fuerit. Tantum enim abest, ut Stoici, a quibus hac de re Peripatetici non dissentiunt, voluptatis primum appetitum putent, ut plerique eam ne in his quidem ponant, quae Goerenzio videntur esse quasi secundaria. Vid. l. 3, c. 5, ubi Catonis haec sunt:

In principiis*) autem naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior, ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur.

Eademque est sententia Pisonis, qui infra c. 16 ita disserit:

In enumerandis autem corporis commodis si quis praetermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus quaestio differatur. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit, ad id, quod agimus, nihil interest. Si enim, ut mihi quidem

---

*) Ὃ δὲ λέγουσι τινὲς πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζώοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν. Ἐπιγέννημα γὰρ φασὶν, εἰ ἄρα ἐστὶν ἡδονὴν εἶναι, ὅταν αὐτὴν καθ' αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ. Diog. Laert. 7, 85. 86.

Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem &c. Fin. 2, 11. Id ita esse sic probant, quod antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturque contraria. Fin. 3, 5.

videtur, non explet bona*) naturae voluptas, jure praetermissa est; sin est in ea, (?) quod quidam volunt, nihil impedit nostram hanc comprehensionem summi boni.**) Quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si voluptas ac-

---

*) Τὴν ἡδονὴν ὁ μὲν Ἐπίκουρος ἀγαθὸν εἶναί φησιν. Ὁ δὲ εἰπών, (sc. Antisthenes, vide Gell. Noct. Att. 9, 5, Diog. Laert. 6, 3) μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην, κακόν· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, ἀδιάφορον καὶ οὐ προηγμένον. Sext. Emp. adv. Math. **11**, **73.**
Voluptas levitate et suavitate delectans sic *ab errore* mentis, tanquam salutare aliquid, adsciscitur. Legg. **1**, **11.**

**) Miror, quid in mentem venerit Goerenzio, cum de hoc loco ita conjiceret:
„Totus locus,“ inquit, „sic legendus videtur: si enim est, ut mihi quidem „videtur, nec explet (quae quidem mutatio etiam Orellio probatur) bona „naturae voluptas, jure praetermissa est; si non est, quod quidam „volunt &c. Peritis et contexta rite consulentibus haec conjectura sua sponte „probabitur: imperitis audaciam ejus excusatam ne volumus quidem.“
Haec ille fidenter sane, sed parum probabiliter disputavit. Nec ego vereor, ne, si aliter ac Goer. et Sch., qui istam conjecturam recepit, de hoc loco statuerim, in reprehensionem incurram peritorum et contexta rite consulentium.
Mihi igitur videtur locus, in ea si exceperis, sanus esse, atque ita explicandus: Jure praetermissa est voluptas, sive ea est in principiis naturae, sive non est. Si enim non est, nullus ei in hac de bonis naturae suscepta disputatione locus erat. Sin est, bona naturae explentur illa quidem; sed non habebam necesse de ea exponere. Est enim voluptas unum aliquod commodum corporis, quod si accesserit ad prima naturae, nostram hanc summi boni constitutionem non mutaverit. Dixit autem Tullius si non explet bona naturae pro si non est in primis naturalibus. Quod enim in principiis naturae est, id est bonum; non enim appetit natura quidquam, quod non sit salutare. Ergo, si est in primis secundum naturam voluptas, eadem expleat bona naturae necesse est. Quae res cum ita se habeat, vix cuiquam dubium esse potest, quin illi, qui si est — nec explet legi volunt, ne intelligant quidem, quae explendi verbo subjecta notio sit. Hoc maxime ex iis apparet, quae Fin. 4, 12. ita scripta sunt: Deinde non quaeremus, quid ob-

cesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis, neque eam constitutionem summi boni, quae est proposita, mutaverit.

Sed ut concedam Goerenzio, a primo ascitu et primo declinatu alios ascitus, quae prima secundum naturam nominant, proficisci: qui convenit, ut Piso instituto veterum Peripateticorum omnem de finibus bonorum et malorum disputationem a primis naturae quasi capite ducat? cfr. c. 9. seqq.

Ne denique illud requiram, quonam modo prima nominari queant, quae sint quasi secundaria: quid esse causae putem, cur, cum ex

---

scuretur aut intereat, quia sit admodum parvum; sed quid tale sit, ut *expleat* summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria: sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est ejus vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur; pars est tamen divitiarum. Quare obscurentur etiam haec, quae secundum naturam esse dicimus, in vita beata: sint modo partes beatae vitae.

Adversantur etiam vel maxime isti conjecturae verba: ut mihi quidem videtur et quod quidam volunt. Quidam enim sunt illi, qui voluptate expleri putant bona corporis, et opponuntur plerisque, qui negant in principiis naturae voluptatem esse ponendam. Vid. quae paullo ante hac de re dicta sunt.

Jam quis non miretur, cur ille contexta rite consulens vir ne ad ea quidem, quae deinceps sequuntur, attenderit. Est enim perspicuum, rationem hic afferri, cur, si esse in primis naturae voluptatem statueris, illa comprehensio summi boni non impediatur. Haec ergo quam sint absurda, si cum Goer. si non est legas, nihil attinet dicere.

Ex his igitur, quae adhuc exposui, intelligi debet, deletis verbis in ea, jure de hoc loco dubitari non posse. Quoniam enim vv. est in bonis et explet bona idem sonant, Tullius sin est posuit, quasi pro non explet, non est dixisset; idque hoc minus durum videtur, quod sit et necne sit modo sunt antegressa.

Goerenzii interpretatione duo modo sint, quae a natura in primo ortu appetantur, trium tamen mentio in his fiat, quae subjunguntur:

Ex hic tribus quum unum aliquod sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum, vel ad repellendum, ut honestum sit facere omnia *aut* voluptatis causa — *aut* non dolendi — *aut* eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi. cfr. 3, 9.

Sed vereor, ne nimius in confutanda istius opinionis levitate videar. Etenim ab iis quidem, qui integri venerint ad hanc disputationem, dudum intellectum puto, quae ad his, non ad alii referri oportere. Ita erunt omnia tam aperta tamque perspicua, vix ut interpretationis lumen desiderent. Nam cum de eo, quod primum appetatur, satis constet *) tres sententias fuisse veterum philosophorum, neminem locus noster offendere poterit ita acceptus: **)

Alii voluptatis primum appetitum putant, ut Aristippus, et qui eum secuti sunt.

---

*) Γενόμενον τὸ ζῶον ᾠκειώθη τινὶ πάντως εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, ὅπερ ἐστὶν ὑποτελές· καὶ τάδ᾽ ἔν τινι τῶν τριῶν. ἢ γὰρ ἐν ἡδονῇ, ἢ ἐν ἀοχλησίᾳ, ἢ ἐν τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν. πρῶτα δ᾽ ἐστὶ κατὰ φύσιν — ἕξις, κίνησις, σχέσις, ἐνέργεια, δύναμις, ὄρεξις, ὑγεία, ἰσχὺς, εὐαισθησία, κάλλος, ἀρτιότης &c. Stob. Ecl. Eth. lib. 2, c. 3.

**) Perperam hunc locum Hauff sic interpretatus est: *Einige glauben, das, was der Mensch zuerst heftig begehre, sei das Vergnügen, und was er zuerst von sich stofse, sei der Schmerz; andere meinen, das Erste, was er zu erhalten suche, sei Schmerzlosigkeit, und das Erste, was er entfernen wolle, sei Schmerz. Aus diesen Bestrebungen, die sie die ersten der Natur gemäfsen nennen, entspringen andere; dahin zählen sie den unverletzten Zustand und die Erhaltung aller Theile des Leibes, Gesundheit, vollkommen gute Sinne, Schmerzlosigkeit, Stärke, Schönheit und dergl.*

Alii non dolere primum adscisci censent, ut Hieronymus.

Alii a primis naturae proficiscuntur, ut Stoici et Peripatetici. Cfr. Fin. 2, 11. 3, 5. 3, 9. 4, 10. 5, 15.

Huic rationi qui assentientur, assentientur autem omnes, qui non peregrini in his literis ac plane rudes erunt, ne de iis quidem verbis, quae suspecta interpretibus, quos nominavi, omnibus visa sunt, doloris vacuitatem dico, dubitabunt. Vid. pag. 15.

At haec interpretatio, dixerit quispiam, quamvis cum iis, quae tum in his, tum in aliis Tullii libris traduntur, mirifice congruat, vix tamen comprobetur, nisi alii ante ab his collocaveris, ut, quo quidque referatur, appareat. —

Quasi vero hoc dubium sit! Si vertam: *Von dem gehen andere andere aus, was* &c. quis erit tam imperitus, qui *was* ad *andere* referat, cum praesertim ipsa sententia repugnet? At vero summis ingeniis viri quae ad alii referendum censuerunt! — Me quidem hoc non conturbat, qui a Tullio didicerim, ingenii specimen esse quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere. An, cum apud Tullium *) sic invenimus: Dicunt, Scopam nimis sordide Simonidi dixisse, se dimidium *ejus ei,* quod pactus esset, pro illo carmine daturum, dubitamus, quin quod ad ejus pertineat? nam illud perabsurdum sit, si quis dicat, quae cum alii magis, quam quod cum ei congruere. Maluit autem Tullius ab his primo loco ponere, ut vim oppositionis augeret, nihil suspicatus futuros, quibus elegantia hujus loci adeo displiceret, ut eum corrigere conarentur.

---

*) de Orat. 2, 68.

ANNOTATIO

ad: Occurrebant mihi — loci. *(Vid. pag. 1.)*

Hanc locutionem, qua cum alii latinae orationis elegantia praestantes viri, tum illi duo in scribendo principes Ant. Muretus et Dav. Ruhnkenius, non dubitant uti, Aug. Matthiae in eo libro, qui Eloquentiae latinae exempla inscribitur, ut parum latinam reprehendit, (vid. annot. ad pag. 60.) haud scio an injuria. Quemadmodum enim oculis terras peragrantium montes, valles, campi, oppida, vici, alia; sic nobis libros evolventibus et quasi perlustrantibus verba, sententiae, loci occurrunt. Nempe occurrere est obviam ire, se ostendere, se offerre, et dicitur cum proprie tum translate, id quod nihil attinet exemplis facere longius.

Verum hoc quidem, ut quisque volet: illud tamen nullo prorsus modo probari potest, quod in eodem libro annotatum reperio ad haec Mureti:

Ego autem ita respondeo: si illis quoque temporibus lingua aliqua fuisset communis omnium, qui ubique essent, eruditorum, ignota caeteris, quales hoc tempore Graecam et Latinam esse constat, non est dubium, quin ea potius cogitationes suas explicaturi fuerint, quam ea, quae vulgo quoque communis esset. Orat. XX. pag. 155.

„Dicendum erat," inquit Matth., „si lingua aliqua fuisset, non est dubium, quin explicaturi fuissent."

Imo explicaturi fuissent latinae consuetudini repugnat. Vid. Liv. 2, 1:

Neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriae, superbo exacto rege, meruit, pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturae cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset.

Liv. 9, 17:

Quaerere libet, quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.

Quare Ernest. quoque in Narratione de M. Gesnero recte ita:

Nec dubitatur, quin longius vitam tracturus fuerit, nisi supervenissent, per quae validius irritaretur malum, et pernicies acceleraretur.

Eodemque modo loquuntur Latini etiam praegresso tempore praeterito. Vid. Val. Maximus 5, 3, *ext.* 3:

Solon tam praeclaras tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut, si his perpetuo uti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium.

Liv. 37, 14.:

C. Livius neminem fidelius dare posse consilium dixit, quam eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.

Tullius quidem, nisi quid me fallit, neutrum illorum usurpat — nam eorum, quae Div. 2, 8. §. 21. *reperiuntur, alia ratio est — ut non dubium sit, quin ille explicavissent pro explicaturi fuerint scripsisset.*

Atque haec ego nolim quisquam alia de causa a me annotata existimet, quam ut in reprehensiones ne incurrerem quorundam optimorum hominum eorundemque, si diis placet, criticorum, qui hoc plerumque faciunt, ut, quum ipsi, quid latine, quid barbare dicatur, non audeant docere, ad aliorum tamquam ad oraculum aliquod confugiant auctoritatem,


3 0112 115882182

